


XXXVII
POGIAN

XXXVII
PUGIAN

LAVDATIO
MARCELLI II.
PONT. MAX.


PER IVLIVM POGIANVM

AD SACRVM COLLEGIVM RECITATA.









SVPERIORVM PERMISSV.

R O M AE,

Apud Ascanium, & Hieronymum Donangelos.

M. D. XCII.

LAVDATIO MARCELLI II. PONT. MAX.

PER IVLIVM POGIANVM

AD SACRVM COLLEGIVM RECITATA.





SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE,

Apud Aloysium & Hieronymum Donangelos.

M. D. XCII.





QVÆ res ad dicendum duæ, facultatis plurimum afferre solent, hæ me maximo deficiunt, Patres Amplissimi; præstãtis ingenij vis, & maturi temporis adiumentum. Quod sane incommodum, graue quidem illud omni tempore, sed tamen in hac caussa ita impedit, vt, quæ argumenti ratio, vel ingenij mei tarditati, orationis copiam antea suppeditasset, hodierno die a dicendo maxime deterreat. Etenim Marcelli Pont. Max. vita laudanda est, vel potius deploranda mors, quæ summo Principi, & parenti omnium optimo, alienissimo Christianæ Reipubl. tempore repente allata, incredibilem luctus, & mæroris acerbitatem, pijs, & bonis omnibus importauit. Ergo communis huius casus, & orbitatis dolor, proprius etiam aliquis meus, propter summam erga eos beneuolentiã, & obseruantiam, ad quos mæror potissimum pertinet, sic mentem & linguam perturbãt, vt in immenso campo laudum, & virtutum Marcelli Pont. Max. morsu doloris interrupta, sæpius hęrere cogatur oratio. Sed, quoniam me huic impositæ necessitati, vel in tantis & temporum angustijs, & animi molestijs parere oportet: primum, magna illa spe proposita, fore aliquando, vt præstantissimi huius Pont. vita, per se quidem satis immortalitati cõmendata, a præstanti tamen aliquo in scribendo, aut dicendo homine, laudis & gloriæ caussa, tamquam singularis ad celebrandum materia, deligatur; quod res postulat, in præsentia faciemus, vt ex eiusdem eximijs virtutibus, quæ Christiano nomini semper vsui, & ornamento fuerunt, quæcũque in mẽtem venerint, grata, vt debemus, piaq. memoria prosequamur. Atque, vt inde exordiar, vnde laudationum ratio fere ducitur, Primum Marcellus Ceruinus, honesto apud suos genere natus, vt natura quadam graui, & seuera, sic illustri ingenio & industria fuit. itaque ad eam morum grauitatem, quæ naturalis in ipso videbatur, & ad domesticæ disciplinæ sanctitatem, si doctrinæ subsidia iam accessissent, magna tũ spes erat, illum ipsum ad summam honoris, atque Imperij dignitatem esse venturum. quare, puerilibus disciplinis celeriter instructus, cum diuina illa virtus contineri iam non posset angustis patriæ finibus, sed maius theatrũ, quo se vniuersam profunderet, requirere videretur, Marcellus, Senas, vbi bonarum artium studia maxime florebant, profectus, tantum breui assecutus est, vt non modo ijs, quæ in ea vrbe, in optimo quoque studiorum genere præstarent, tãquam flosculis vndique delibatis, sed onerato, & completo pectore, varietate magnarũ rerum, atque artium, Romã peruenit; atque, vt primum cœpit, in hac ciui-

tate versari,se ad bonos in primis,& eruditos viros contulit.neque vero sta tim cognita non est singularis illa doctrinæ vis,probitatis, atque prudétiæ quin etiam,cum talis inde exsisteret oratio,quæ verborũ numero, sententiarum,vel oraculorum potius, numerum assequeretur, erupit illico ad hominum existimationem,& admirationem, neque multis ipsius modestiæ quasi cancellis coerceri potuit Marcelli incredibilis fama virtutum. Quam ob rẽ Paulus Pont. Max. oblatum sibi clarissimum illud animi, & ingenij lumen arripuit,&,vt erat ingeniorum existimator acerrimus, tantam gloriæ segetem,& materiam,otiosam,aut incultam,iacere,non est passus.& quidem diuina tum fuit opportunitas.nam, cum sapientissimus Princeps,curam illã, cogitationemq.suscepisset,vt imaginem animi,& consiliorum suorum,Alexandrum Farnesium Cardinalem,tum quidem admodum adolescẽtem. sed præmatura ingenij vi, in auitæ laudis spem, atque iter ingressum, ad eos, quos sibi ipse fines antea semper constituerat, dirigi,& confirmari vellet, Marcellum,in quo sui similitudinem quandam amabat,& admirabatur, iuueni moderatorem, & ministrum adhibuit. Hunc igitur, tum quattuor, & triginta annos natum,excitatum a doctrinæ studijs,Pontificiæ scriptioni,& Reip.procurationi præfecit:quibus in actionibus ita se gessit,vt,cum cetera Paulus laudaret,prudétiam,& auctoritatem obstupesceret. Nullum enim iam negotium,nulla Legatio,nulla Christianæ Reip.pars,Marcelli cõsilio,& viribus non digna videbatur. itaque nihil domi per ea tempora, nihil foris, vel egit Pontifex,vel agere cogitauit,in quo Marcelli aut sententia,aut opera non vteretur. Ac primum ad Cæsarem in Hispaniam consolandi gratia cum amplissimo adolescẽte a Pontefice missus, sic inde discessit, vt Cæsari, in domestico coniugis luctu,suæ,& prudentiæ,& eloquentiæ iucũdum relinqueret desiderium. Post, ornatissimo iuueni,ad Cæsarẽ,& ad Galliæ Regem maximis de rebus proficiscenti, iterum administer datus, tantam nauauit operam,quantam,in summo Pontificis studio,difficillima negotiorum,& tẽporum ratio postulabat.Hic mihi occurrũt,Patres Amplissimi, & quasi manus inijciunt,actuosæ illæ,& fructuosæ nomini nostro,in summorũ Christianæ Reip.Principum congressibus,& colloquijs,explicatæ Marcelli virtutes, ingenium in excogitando,cõsilium in prouidendo, in exponendo grauitas, in docendo facilitas,in persuadendo vis, in agendo industria, in conficiendo celeritas.Sed cum fere singula Oratoris ingenium, artemq. desiderent, cum ipse,præter ingenij impedimẽtum,vrgear etiam tempore, totum id in præsentia,in vestra omnium opinione,& cogitatione,relinquetur. Sed,cum tot is, tantasq. res,quadriẽnij spatio, mente,& oratione perfecisset, quot & quantas mihi cogitare difficile est, enumerare dicẽdo nullo modo possim, sapientissimus Pontifex,qui non minori remunerandæ virtutis, quam exercendæ,studio tenebatur,cum absentem Marcellum, quem iam antea Episcopum fecerat, eximia prius hominis fide, atque prudentia, frequentissimo senatu, singulari verborum genere, commendata, Cardinalem renuntiauit, tum clarissimo, & optimo nepote reuocato, hunc ipsum, eius Legationis munere decorauit. Habuit omnino hoc Paulus Pont. præter cetera virtutum ornamenta præcipuum, & proprium bonum, vt non magis

honoribus viros,quàm honores viris honestaret. Neque vero ad rem exemplis comprobandam quemquam alium nominabo, præsertim cum & hæc caussa,vno contenta Marcello,requirat præterea neminem, & vnicuique, in amplissimum istum consessum æquo animo intuenti, facile Paulus seminarium optimorum Pont.in vestrum ordinem intulisse videatur. Sed redeo ad Marcellum,qui tum noua amplissimi honoris accessione, tum veteri dignitate,& auctoritate,quam non ætas attulerat, sed natura impresserat,doctrinæ ratio auxerat,vitæ, & actionum æquabilitas cõfirmarat, hoc inquam dignitatis,& auctoritatis pondere,cum iam antea pacis, aut certe induciarũ, patrocinium suscepisset,arma de manibus iratorum Regum extorsit,& eosdem in Pont.Max. rationem, sententiamq. perduxit. Quare,difficili in primis negotio recte,& salutariter confecto,ad vrbem est accersitus.Nota sunt vobis,Patres Amplissimi, quæ postea sunt consecuta. Scitis Reip.curam, & tractationem,vel ipsi à prudentissimo Pont.creditam,vel certe cum eo cõmunicatam. Religionis administrationem delatam ad eundẽ, meministis. Quam cum ipse virtutem, vel potius virtutum omnium procreatricem, & dominam, veneraretur, & coleret in primis,tantam propterea admirationem habebat,& venerationem,vt vel ij,qui à Catholica fide, aut à sacris ritibus,abhorrerent,non tam iudiciorum seueritate deterriti,quam exemplo sanctitatis adducti, & sua scelera recognoscerent,&,impijs sublatis erroribus,ad sanitatem redirent. Quid ea commemorem, quæ ad Tridentinum Concilium,quo Legatus à Pont.Max.venerat,sunt in omnium oculis,atque auribus,cum summa Christianæ veritatis,& pietatis defensione,celebrata? Quid dicam de eiusdem libertate, quæ propria est vestri ordinis,in Pontificia potestate, & auctoritate tuenda? Hæc enim nimirum res tantam vim habuit ad excitandam, & propagandam Marcelli laudem, atque existimationem, vt non iniuria Tridentinæ illius actiones summum eidem Pontificatum peperisse videantur. Verum vtar hoc loco ea clausula,Patres, vestra, vt spero,voluntate, & approbatione; Marcelli Cardinalis vitam, communi sententia;doctrinam, eruditorum testimonio;ciuilem gubernandi scientiã, Pauli Pont.Max. iudicio,satis esse comprobatam.Sed incursat iam sæpius in me dolor,in hac Marcelli virtutum commemoratione: nam occupatur animus cogitatione communis acerbitatis. quem tamen ita dolorem comprimam,si potero,vt,nisi necessario loco,non patiar erumpere.Secutum est igitur illud tempus,cum, Paulo mortuo, Iulius Pont. Max. est renuntiatus. cuius sane comitijs,& Marcelli rationem habuistis;&,quo Iulium honore merito suo, affecistis,dignissimum illum etiam iudicastis. De quo quid Iulius postea & dixerit, & senserit, cum eiusdem honorificentissima comprobant testimonia,tum eo facile declaratur,quod in maximis,difficillimisq.rebus, Ceruini Cardinalis sententiam Iulius requirebat,& eiusdem consilio libenter vtebatur.

Sed, quoniam Marcelli Cardinalis admirabiles eas virtutes, quæ in publicarum rerũ administratione floruerunt, leuiter attigimus,percurramus illas etiam, quæ,ab incredibili naturæ bonitate profectæ, partim eandẽ habent admirationem, partim iucunditate, cum pari splendore coniunctam;

Quis

Quis enim vmquam fuit, vt a beneficientia initium faciamus, qui miſeram, vel inopem bonorum, aut ſtudioſorum fortunam, conſilio magis, aut opera, aut facultatibus, ſubleuarit? Hanc hominis benignitatem, cum aſsidue multorum voces prædicant, tum eruditorum virorum litteræ teſtãtur. Et, quoniam fructuoſa permultis fuit altera quædam ratio, & doctrinam, religionemq. complectitur, minime eam prætereundam duxi. Erat Ceruinus Cardinalis vel in maximis occupationibus mirifice ſtudijs deditus, vt non plus olim in comparanda doctrina operæ, aut induſtriæ poſuerit, quam nũc in fruenda elaboraret. Quam induſtrij, ac vigilantiſsimi viri laudem cum iam diu Paulus ſpectatam, & cognitam habuiſſet, nouum illi quendam campum aperuit, in quo ardens illud ſtudium, & ſingularis diligentia poſſet excurrere. nam & Marcellum Vaticanæ Bibliothecæ præpoſuit, & rem ſatis amplo verborum honore eſt proſecutus; qui ſe cum inexhauſtæ ipſius legẽdi cupiditati, tum propenſæ eiuſdem in ſtudioſos voluntati præclarum id munus detuliſſe prædicaret. Quod vero & is in Diuinis litteris acquieſcebat, & maxime Græcis in eo genere ſcriptoribus delectabatur, bonam eorum librorum copiam, magna tum cura, tum impẽſa vndique conquiſitam, comparatat. In quo non ſibi ſatis ducebat, homo communis vtilitatis, & ſalutis, quam propriæ, ſtudioſior, animæ ſuæ commoda inde percipere, niſi ſalutares eos fructus reliquis impertiret. Quamobrem etiam, vt id bonum latius pateret, ad pluresq. pertineret, Græcos illos auctores, propoſitis præmijs, Latine reddendos curabat. Neque tamen ex tanta beneficientia, ac benignitate, parata, & expoſita omnibus, qui modo probitatis aliquam præberent ſignificationem, quidquam ad cognatos, aut affines, id quod his, & hominibus, & temporibus in illa fortuna nouum, & inuſitatum videtis, præter eius laudis, & gloriæ, partem redundabat. Et, quoniam iuſtitia firmamẽtum eſt rerum gerendarum, &, tãquam aurum Lydio lapide, ſic reliquæ virtutes huiuſce laudis regula comprobantur, cum ad eam normam Marcellus actiones, & cogitationes, dirigebat ſuas, tum in eodem ſummum erat innocentiæ præſidium, improbitati certum exitium conſtitutum. Quid perſequar aditus, & acceſſus ad illum facilitatem? Quid audiendi patientiam? Quibus nimirum ornamentis ſe ad Imperij ſplendorem natum ſemper oſtendit? Quid vero grauioribus illis virtutibus admirabilius abſtinentia, continentia, conſtantia quadam animi, quæ nullius maledicto, aut contumelia, nulla vmquam aut hominum, aut fortunæ, iniuria commoueri, aut de gradu deijci potuit? Quid reliqua præſtantis animi, & ingenij bona? non ne ſunt, vt ad imitandum, ſic ad enumerandum difficillima? Hunc vos, Patres Ampliſsimi, Diuinum, & plane cæleſtem virum, vobis antea ſemper amandum, ſemper obſeruandum propoſuiſtis: hunc proximis comitijs, nihil molientem, nihil denique tale cogitantem, tanto omnium veſtrum ſtudio, tanta conſenſione, Pont. Max. declaraſtis, vt plane ſignificaretis, Spiritus ſancti afflatu, vos in eam rationem eſſe deductos. Quod non modo comprobauit lætitiæ fructus is, quem apertiſsime præſentes tuliſtis, ſed incredibile eius rei gaudium omnium gentium, ætatum, generum, ordinum. Quin etiã in Marcelli Pont. Max. renuciatione, morum diſciplina, litteræ, bonæ artes,

accepto

accepto lætissimo nuntio, sese ad veteris dignitatis recuperandæ spem erexerunt. Vnus ipse Marcellus, cuius ex honore summa ad omnes lætitia peruenerat, vt vetus nomen retinuit, sic eundem vultum animumq. seruauit, & fratris filios eodem vestitu, eodem comitatu vti voluit, quo prius assueuerant. neque mirum. nam, qui æquissimam illam Christi Vicarij persona, sibi impositam intelligebat, non iam vni Ceruinæ domui prospiciendum, sed vniuersæ Christianæ familiæ consulendum iudicabat; &, qui iam animo migrauerat in cælum, nihil in suis caducũ, nihil inane ferre poterat. Quare ad eam voluntatẽ, quam semper habuerat, vt primũ facultas fuit, vehementer incubuit; atque iis ortus est initiis, vt breui cælestis illius Ecclesiæ præclaram quandam similitudinem in nostra hac Ecclesia visuri essemus. Sed o fulmen, o fragilem, & caducam hominum condicionem. nam, qui alter & vigesimus dies ab aditu ad Pontificatum fuit, is & communem omnium spem, & eius saluberrima consilia repentina morte peruertit. Sol mihi propemodum e mundo visus excidere, & sempiterna nox rebus offundi. Tãtam ne probitatem, doctrinam, prudentiam, sapientiam, tam improuiso, atque inopinato casu concidisse? Quantum spei, virtutis, & bonarum artium studiosi, in Marcelli morte amisistis? quantum in eo detrimenti fecistis? Iccirco ne tot litterati viri, tot optimorum studiorum principes, relicta patria, coniugibus, liberis, lætitia exsultantes, sese ad Marcelli Pont. Max. nomen effuderunt, vt, suo ad Vrbem aduentu, vix, quid sperarent, aut ne vix quidẽ, dispicerent? O summam naturæ rerum, temporis momẽto, commutationem, O miseram, & infelicem hanc Vrbem, abiectas, & afflictas, prouincias, quæ Marcelli obitu non iam patronum, aut propugnatorem acerrimum, sed tutorem fidelissimum, atque adeo parentem optimum, & amantissimum, requirunt. O funestam, & plane miserabilem Marc. Pont. Max. familiam, quę, vnde summas, opes honores, lætitiæ fructum, ceteri consequuntur, inde inopiam, solitudinem, luctumq. percepisti. Quamquam, vt vere dicam, in eadem re grauissima vos plaga perculit, Patres Amplissimi. Siquidẽ, quod nobis in primis gloriosum fuerat, id repente ereptum est. Quæ enim vmquam Pontificia suffragia, summis, mediocribus, infimis iucundiora? quæ comitia ad laudem, & gloriam fuerunt illustriora? Iure igitur, vt lacrymas in Marc. Pont. Max. renuntiatione præ lætitia profudistis, sic nunc in eiusdem morte præ mærore fletum continere non potestis. Vtinam, Marcelle Sanctissime, in priore illo & honore, & fortuna potius viueres, quam ex altissimo dignitatis gradu in tãto omniũ gemitu subito casu deiectus iaceres. Sed, quid ago? aut in quem me errorem prouehit dolor? An non intelligo, quid Christiana veritas, ac pietas, requirant? quid huic loco, quid cõsessui vestro conueniat? quid postulet a me beatissima de cælo anima? Nihil est, inquit, quod lacrymas commouere studeas. mecum præclare actum est: meis, si modo & me ipsum intueri, &, quæ ijs pręscripta est a me viuendi ratio, eam tenere voluerint, nusquam deerit Diuina benignitas. Quod vero vnũ mihi maximæ curæ est, a Patribus Amplissimis, atque adeo fratribus meis peto, vt eã adhibeant in Pont. deligendo celeritatem, & prudentiã, quam & muneris omniũ in terris optimi, & maximi, & temporis difficillima ratio postulat.

fat. Illum autem, quem Pont. Max. Diuino consilio renuntiarint, oro, atque obsecro, vt, cum nihil antiquius Ecclesiæ dignitate, nihil potius Christi disciplina habuerit, illos ipsos, qui meum discessum ex ista vita maxime doluerunt, meos inquam, non cognatione, aut affinitate, sed animo, studijs, & voluntate, meos, suos ducat, illis faueat, illis opituletur. Atque hęc nou iam flens, aut perturbatus, vt ego nunc, sed eadem illa mentis, & orationis, tranquillitate loquitur, qua semper antea dicentem audiuistis. Quam obrem, Patres, non dubito fore, quin, vt Marcelli Pont. Max. precibus obsequamini, qui non mortuus, (neque enim moriuntur, qui ex Dei voluntate vixerunt) sed animo viuens, & præsens id a vobis vehemẽter expetit, quod & vestra, & Christianę Reip. maxime interest, eum Pont. Max. deligatis, qui, in tristissimo omnium Marcelli desiderio, eiusdem nobis animum, & vitam, repræsentet.

DIXI.

